

ORATIO IN SCHOLIS 136

Theologicis ab eodem authore habita, in qua con-
futat inane cauillationes quorundam, &
nominatim Caroli Molinæ, aduersus
authoritatem sacrosancti Con-
cilij Tridentini.



Voties in Christi Ecclesia dissensio-
nes & scandala exorta sunt, que
uniuersam Christianam rempub- August.
licam perturbarēt, quiaq; in parti- vlt. cap.
cularibus episcoporum & sacerdo- lib. 4. cōtra duas
tum conuentibus spiri & tolli non possent, sa- epistolæ
pienter maiores nostri ad cōciliū uniuersalis au- Pelagia.
thoritatem, tanquam ad unicum azylum, & sa- notum.
cram fluctuantis nauicula Petri anchoram, con- Acto. 13.
fugere sunt soliti. Sic statim post ascensum Chri-
sti in cælum, cum Antiochia orta esset quæstio
de lege Moysi cum euangelio miscenda, & genti-
bus indicenda, Paulus & Barnabas ascenderunt
Hierosolymam ad Apostolos & presbyteros, qui
post multam conquisitionem, desinierunt onus le-
gis Mosaicæ, gentibus non esse imponendum. Si-
militer & post Apostolorum tempora contra
Arrium, Concilium Nicenum i contra Ma-
cedonium, Constantinopolitanum: contra Ne-

S storini,

Oratio

Storium, Ephesinum: contra Euticeten, Chalcedonense coacta sunt. In quibus quidem Ecclesia Synodis, recta & orthodoxa doctrina de Christi diuinitate, de duabus eius naturis, diuina & humana in una persona, de duplice operatione Christi, deque diuinitate Spiritus sancti, explicata, defensa & confirmata est. Sic & deinceps ad disceptationes & questiones, uniuersam praesertim Ecclesiam perturbantes, & scandala tollenda, generales synodi semper adhibita leguntur. Ac recte intellexerunt maiores nostri, viri & sacra eruditione, & vite sanctimonia celebres, magnificas illas Christi promissio-nes de iugi sua & perpetua presentia cum Ecclesia, ac perpetua Ecclesiae per Spiritum sanctum gubernatione, portae inferi non preualebant aduersus eam. Ipsa columna est & firmamentum veritatis. Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobis, non

Matt. 16. bant aduersus eam. Ipsa columna est & firma-
g. Timot., mentum veritatis. Rogabo patrem, & alium pa-
racletum dabit vobis, ut maneat vobis, non
ad tempus aliquod sed in eternum, spiritum ve-

Ioan. 14. ritatis. Denique: Ecce ego vobis sum usq; ad
& 16. Matt. vlt. consummationem seculi: atque alias pleraq; ad

Lib. 1. c5. generales potissimum Ecclesiae synodos referen-
das esse, quas contra Donatistas scribes beatu-
tistas cap. Augustinus, confessionem Ecclesiae totius adfir-
2. ; 4. & mare non dubitant. Vnde Apostoli & maiores
lib. 2. con- natu Ecclesie Hierosolymitanæ, decretum illud,
tra Paro quod

quod de lege Mosaica gentibus non imponenda menianū
ediderant, non dubitant Spiritui sancto adscri- cap. 14.
bere: Visum est, inquietes, Spiritui sancto & no- Acto. 19.
bis, non quod aliquam super ea questione reue-
lationem per spiritum sanctum accepissent, sed
quod persuasum haberent suam synodus suam,
collationem & conquisitionem spiritus sancto gu-
bernari & regi.

Et celeberrimi doctoris Gregorij sententia Greg. in
illa celebratur apud Catholicos: Sicut sancti euā- registro
gelij quatuor libros, sic quatuor Concilia: videli- lib. 1. cap. 1.
cet que ante eius etatem ex uniuerso orbe co- 2. 4. lib. 2.
gregata fuerant: Nicenum, Constantinopolita- cap. 49. lib. 3.
num, Ephesinum, & Chalcedonense suscipio &
veneror. Cum igitur iam inde ab initio prædica-
tie euangelij semper & salutares & etiam neces-
sarie sint habite Christiani orbis synodi, ad per-
uersa & impia dogmata contentiosorum here-
ticorum confutanda & explodenda, & ad disci-
plinam collapsam tā in clero, quam in populo in-
staurandam, eximia Dei erga nos clementia, &
Romana sedis summorum pastorū vigilatia, pro-
pter nostri sacruli herefes & corruptelas, Tride-
tinum Concilium indictum, coactum, & tan-
dem fœliciter absolutum videmus: per quod va-
rios & multiplices doctrinæ errores, quibus
grauissimè labefactata sunt Ecclesie Christi,

§ ii. & unitas

Oratio

& unitas Christiana miserè diuulsa & discerpta, corrigendos, & morum corruptelas in omnibus ordinibus emendandas, in Domino confidit omnes p̄ij.

Verū ut saluberrimum hunc Concilij fructū hostis ille gloria Christi, & salutis humanae inimicus, interuertat & impedit, cūm non speret œcumenicarum synodorum irradicatam in Christiani populi animis autoritatē conuellere se facile posse, & labefactare: homines contentiosos & arrogantes excitat, & tanquam in prosceniu extrudit: Qui editis libellis, magnam quidē esse conciliorum generalium, sed legitimorū & Christianorum autoritatē diffiteri non audent. Verū illud Tridenti celebratum Concilium, in conciliorum illegitimorum numerum, cum Ariminensi illo numerosissimo, cum Ephesino secundo, cum Constantinopolitano illo de tollēdi imaginibus reiciendum esse: ac proinde neque doctrine, neque decretis eius fidem adhibēdam, vanissimis & impudentissimis calumnijs contēdunt: Atque eiusmodi libellos impunē in vulgo promiscuum spargi videmus, proh dolor, o magistratus Christiani, qui in hoc constituti estū, ut Domino in timore seruiatis, hoc est, authore Augustino, ut ea que contra Domini iussa, et imprimis contra religionem sunt, religiosa ser-

ueri-

ueritate prohibeat is atque pleatatis.

In Consilio quodam, quod Iureconsultus Caro
lus Molinæus, qui in alijs quoq; scriptis suis aper-
tissimum se hostem & oppugnatorem Ecclesiæ
Christipalam declarat, super recipiendis in re-
gno Galliæ Tridentinis decretis conscripsit, plu-
rimas unde quaque corrasi rationes, quibus Cō-
cilij Tridentini autoritatem & fidem in uni-
uersum labefactare & abrogare studuit: addens
quoque in singularum ferè sessionum pleraq; de-
creta, calumniosissimas & ineptissimas cēsuras.
Sed impræsentiarum omissis ineptissimis illis in
decreta canillationibus, de quibus ipsius sacra sy-
nodi censura pīs Ecclesiæ filijs sufficere debet, eas
nunc excutere operæ pretium duxi, quas ille ad-
uersus Concilij uniuersam autoritatem & fidē
magno fastu colligit: atque ostendere quām sint
futiles & inanes, & ut ipse appellat, vera nulli-
tates, quò apud omnes sancta & inniolata sem-
per consistat Synodi sacra authoritas.

Igitur Concilium Tridentinum esse illegiti-
mum, & minimè recipiendum, ostendere conatur. Cauillad
Primum: quia dictum Concilium est indi-
ctum, sola primum authoritate Pauli tertij, Ro-
mani Pontificis, & postea Iulij & Pij quarti re-
sumptum: at qui legitima Ecclesiæ Concilia sem-
per conuocata sunt authoritate Imperatorum, &
S. iij. prī-

Epistola.

48. & 50.

lib. 3. con-

cresco.

niū gram-

maticum

cap. 51. &c

lib. 2. cō-

tra Gaudē

tij episto.

cap. 29.

Oratio.

& principum superiorum : conuocationes vero
aliter factae , semper fuerunt nulle & irritae.
quemadmodum testatur Hieronymus in Apologia
contra Ruffinum.

2. Secundo: Manifestum est , inquit , ex histo-
riis ecclesiasticis & scriptis veterum ecclesie do-
ctorum , Romanum Pontificem nunquam pre-
disse in Conciliis generalibus : sed quando illus in-
terfuit semper habitum fuisse tanquam vulga-
rem & gregarium Episcopum , aut certò tanquam
recentem aliquem Patriarcham : præsedisse an-
tem semper aut ipsos seniores Patriarchas , aut
Imperatorum legatos . Porro in Concilio Tri-
dentino Romanos Pontifices præsedisse nono
more , per suos Legatos , Cardinales & Pra-
fides .

3. Tertio: A sententia Romani Pontificis Leonis ,
per quam doctrina Lutheri condemnata est , in-
terposita est legitima appellatio ad Concilium
generale , in quo postea præedit Romanus Pontifex ,
censeri legitimum , quia iuri omni , tum di-
uino , tum naturali , tum humano , repugnat
ut index , à cuius sententia appellatum est , in
nous quoque iudicio , ad quod prouocatum est ,
index sedeat .

4. Quarto: Pontifex Romanus cū suis , est pars
rea

rea, & accusata de multiplici corruptela doctrinae & morum, & ad suscipiendam reformatiōnem ad Concilium citata. Concilium igitur in quo citatus, reus & accusatus Romanus Pontifex, sumpit sibi contra omnem iuris ordinem, personam iudicis, illegitimum prorsus censeri debet.

Quinto: Pontifex Romanus cum suis est cō-
iuratus, & capitalis hostis eorum quorum causa
ad Concilium relata est, igitur nulla ratione po-
tuit esse legitimus index.

Sexto: In Concilio Tridentino processum est,
parte nec vocata, nec auditā, immo exclusa: igitur
Concilium quod sic processit, non potest haberi
legitimum.

Postremo. Prætensem Concilium, habitis Tri-
dentis sessionibus, translatum est Bononiam,
atque ibi sine aliqua actione mansit suspensum,
donec moriente Paulo tertio, cum eo quoque si-
nem accepit, & ex toto finitum fuit. Nam cum
sola voluntate Pauli tertii, non per Impera-
torem & principes, neque per authoritatem
Ecclesiae congregatum fuerit, consequitur quod
per eius mortem extinctum sit. Secundum
enim utriusque iuris censuram, voluntas morte
finitur: alioqui nisi fuisset ex toto Bononiae finitū,
electio Papæ successoris Pauli non fuisset penes

5.

6.

7.

Oratio.

Cardinales sed penes dictum concilium. Nō obstante autem predicta expiratione & extincione Concilij, Iulius tertius Pauli successor, anno 1551. & postea Pius quartus anno 1560. illud resumpit & continuauit in Tridento. Manifestissimum autem est, quod mortuum iam Concilium & finitum, non potuerit resumi & continuari. Quare quicquid postea superstructum est per Iuliun & Pium, censendum est super fundamento caduco esse superstructum.

Septem his capitibus serè comprehensum est,
2. Reg. 17 quicquid gloriosus ille Philisteus aduersus instructissimam Concilij aciem, & muniriissima Ecclesiæ Christi castra, eiaculari nō est veritus. Verum ne in immensum glorietur, id confiteri vel inuitus debet, nō se primum istarum speciosarum scilicet obiectionum & cauillationum auctorem esse. Sed annis superioribus cum Conciliū generale toties à Protestantibus postulatū, & a Paulo tertio tandem indictum Protestantes tergiuersantes recusarent, pro iustificatione & defensione tergiuersationis sue, ab eorum ecclesiasticis & doctoribus in couentu Smalcaldiano religionis eas exceptiones, idq; non paulò instructiores cot per Ger^s scriptas, & Pontifici ac Cesari, atque alijs ordinibus Caro^s exhibitas fuisse, clarissime cognosci potest

Io. Sleid. ex Commentariorum Ioannis Sleidani, (quos de statu

statu religionis per Germaniam sub Cæsare illo
augustissimo, pientissimo, & religiosissimo Ca-
rolo quinto venerande recordationis conscripsit)
libro undecimo.

Is enim libro undecimo suorum Commenta-
riorum scribit: Protestantes has attulisse suæ re-
cusationis causas. Primū, iudicandi potestatē
non solum ad Pontificem & Episcopos, verū etiā
ad uniuersam Ecclesiam pertinere: quo quidem
numero sunt quoque reges, & cæteri ordines.
Quapropter legitimū Concilium haberi non
posse, in quo solus Pontifex cum suis, iudicandi
potestatem usurpet.

Deinde: Pontificem cum suis, ex litigatoribus
alteram esse partem, que non levibus de causis,
sed de doctrina impia, & impio cultu reprehendatur:
pugnare autem cum iure naturali &
diuino, ut parti que rea est, concedatur iudicandi
potestas.

Rursus: Pontificem non solum esse alterum li-
tigitorum, sed doctrinam Protestantium multò
antè ab eo condemnatam esse. Iniquum vero
prosorsus esse, ut index iterum sit is, à cuius con-
demnatoria sententia prius est appellatum.

Has itaque recusati iam olim Concilij causas
& Protestantibus redditas, Iureconsultus Mos-
linanus rursum in lucem renovat, ad oppugnandā
sacrae

1.

2.

3.

Oratio

Sacra Tridentina synodi fidem & autoritatem.
Quae quam sint vanae & futilis, ita superest ut
paucis pro tempore ratione commonstremus.

Solutio
primæ ob
iectionis.

Primum itaque quod cauillatur Molinaeus
circa Cœciliū indictionem, solius Pauli tertij Ro-
mani Pontificis voluntate & autoritate, nouo
& in usitato more Concilium indictum & cono-
catum esse, sine Imperatorum & Principū assen-
su & approbatione: id vanissimum esse, & men-
daciūm impudentissimum, vel ex ipso diploma-
te indictionis compertissimum cui libet esse po-
test. Sed ne criminis falsi insinuare audeat in-
uercidus homo ipsius diplomaticis narrationem,

idem liquidissimo demonstrari potest ex ipsius

Sleidanī historiæ libris, septimo, octavo, et nono:
Placuit, inquit Sleidanus, tandem Paulo tertio
libro 7.8. in Germaniam remittere Petrum Vergerium,
et 9 cōfū qui generale Concilium promitteret, qui profe-
nati Moli-
næi mē-
daciūm.

etius ad omnes principes, Mantua futurū Cō-
cilium denunciaret. Pontificem enim, Cæsarem
& Regem Ferdinandum, ista cogitatione & so-
licitudine cum primis affici, ac eandem ceter-
rorum quoque principum esse voluntatem: de-
nique Pontificem cum Gallia & quoque Rege com-
municasse qui necessarium esse Cœciliū et ipse
iudicaret. Ex quibus cognoscis merum et putum
impudentis hominis mendacium.

Quod

Quod verò in eadem obiectione cauillatur Solutio
 non esse Romani Pontificis denunciare Conciliū, sed ad Regum & principum authoritatem
 id pertinere, aliterque celebrata Concilia semper irrita fuisse, coarguit eam cauillationem Marcellus ille gloriosus Christi Pontifex & martyris, in sua ad Antiochenos epistola: In qua luculententer scribit, quod Christi Apostoli, domino inspirante, & hoc instituerunt, ut nulla synodus fieret, prater Apostolicæ sedis authoritatem. Nam Apostolorum institutionem repetitam fuisse, & veluti renocatam, in synodo Nicenaceleberrimus ille Ecclesiæ doctor Athanasius (qui eidem synodo interfuit) testatur cù vniuersis orthodoxis totius AEgypti, Lybie, & Thebaidis Episcopis, in Alexandrina synodo, ob Nicena fidei defensionē congregatis, in Epistola ad Felicem Pont. Rom. in hac verba: Domino beatissimo & honorabili sancto patri Felici, sanctæ sedis Apostolicæ, urbis Romæ Papa Athanasius, et uniuersi AEgyptiorū, Thebaidorū et Lybiorū episcopi in sancta Alexandria synodo gratia Dei congregati: Quia Apostolicis vestra beatitudo visceribus cōmota, propter tribulationē nostram nos oēs hortata est ad tuitionē catholicæ & apostolica ecclesia in unū cōuenire, & de nostra oppressionē canonice et uanimiter tractare, ideo

Pater bea-

cauillatio
 nis in pri
 ma obiec
 tione p rō
 posita, de
 imperato
 rum potē
 state in
 cōuocādis
 cōcilijs.

Marcellus
 pontifex.
 Huius re
 gulę eccl
 esiaſtice
 & Iulius
 & Dama
 sus & A
 thanasius
 memine
 runt.

Athana
 sius in
 epistola
 ad felicē
 romanū;

Oratio

beatissime, quia semper antecessores nostri & nos à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere cognovimus, prefatam Apostolicam et summam sedem iuxta canonum decreta expetimus, ut inde auxilium capiamus, unde predecessores nostri ordinationes & dogmata acceperunt. & post pauca: Nam scimus in magna synodo. cccxviiij. episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia, Concilia celebrari, nec episcopos damnari: licet hæc & alia quamplura necessaria, ab hereticis, qui nos quotidie infestant, & perdere nituntur, ut facilius nos capere possint, sint synodica capitula incæsa, nobisq. sublatæ hactenus Athanasius. Et cum propter doctrinæ cognitionem, & cum encyclica Concilia potissimum indici soleant, quam ad episcoporum officium, non ad regum potestatem spectare magno consensu tradiderunt sacri scriptores (quod paulo post ostenditur) quis ambigat, ad sacram magistratum & non ad politicum, Conciliorum denuntiationem potissimum pertinere? Vide historia tripartita lib. 4. cap. 9.

Solutur
argumēs
tū ex Hie
ronymi
verbis
factum.

Quod autem Hieronymus Ruffino allegans Concilium respondet: Ostende primum ab Imperatore Concilium fuisse conlocatum: Hieronymi verbis apologia aduersus Ruffinum hac sunt:

Respon-

Responde, quæso, Ruffine, quod dicitis Hilarii libros
falsatos esse ab hereticis, & ob id eum à concilio
excommunicatum fuisse, Synodus ea, à qua
excommunicatus fuit, in qui urbe est habita?
Doce qui eo anno consules fuerint, qui impera-
tor hanc Synodum iussit congregari? Gallia ne-
tantum episcopi fuerint, an & Italie, & Hispan-
ia? certe ob quā caussam Synodus congregata sit.

In quibus verbis constat, cùm ad Origenis, à
catholicis propter hereticos errores in ipsius li-
bris deprehensos excommunicati defensionem
Ruffinus Concilij cuiusdam censuram cōtra Hi-
larium propter errores hereticos eius quoque
libris inspersos proferret, non aliud egisse Hiero-
nymum, quām ut edito Imperatoris nomine, sub
quo Concilium celebratum esset & cōgregatum,
cognosci posset, quodnam illud Concilium esset,
quod Ruffinus allegabat, quod concilium extare
non satis credebat Hieronymus, & quod nunquā
in lucem prodīsse constat. In eo quoque quod dis-
citur Imperator Synodum congregari iussisse,
non est necesse intelligere sacerdotalis authori-
tatis potestatem, que decernit Synodum con-
gregandam, fuisse exclusam. Demus autem hoc,
quod Imperatores aliquando Synodum conuoca-
uerint, penes quos orbis totius fuit imperiū: ta-
men si qui fuerunt catholici, non fecerunt hoc,

nisi

Oratio

nisi de Romanorum Pontificum sententia, adeo
ut hereticus ille Imperator Constantius, per vim
adigere Liberum Pontificem conatus sit, ut acta syn-
odi Ariminensis calculo suo cōprobaret, quod ea
alioqui minimē rata fore perspectūm haberet.

Solutio 5 AEquè vanū est quod obiecit Molineus, in
obiectiōis Concilio Tridentino processum esse, parte nec vo-
cata, nec audita: Nam habita deliberatione in
Smalcaldico conuentu ita respondisse legato Apo-
stolico Petro Vergerio Protestatēs scribit Slein-
danus: Quae sit ipsorum de Concilio voluntas, iam
ante a se non unis comitijs declarasse, & Cesāru-
at q. Clemētis septimi legatis exposuisse: se quoq;
legitimum optare Conciliū, & cum reliquis primi-
cipibus hoc à Cesare flagitasse. Non ergo se de-
futuros reipublicā, & libenter ad Concilium vē-
tueros, quod modo legitime & rite instituatur.

Sed hoc fortasse sensit Molineus, quod disertū
verbis expresserunt protestantes, partem voca-

Principes tam non esse admissam ad dicendas sententias,
seculares & ad suffragandum, sed id munera solis episcop-
i in Conci- pis & sacerdotibus ibi reseruatum esse: cum ta-
liis nō so- lere dice- men & sacris literis, & veteris etiam Ecclesie
re senten demonstrari posse exemplis contendat, adhibi-
tias de re- tos fuisse in publica causarum fidei & religionis
ligione, cognitione viros principes atque alios ordines.

Verū si sacras literas tam veteris quam noui-
testa-

testamenti consulamus , simul & probatissimas rerum ecclesiasticarum historias , ac patrū eruditissimorum testimonia , certissimo comperie- mus , fidei & religionis , & sacrarum rerum co- gnitionem & diudicationem . soli sacerdotali of- ficio in Christi Ecclesia semper fuisse attribuitā .

Cuius rei iustam probationem cū adferre tēmo- poris presentis ratio non permittat , vnicam tā- tū celeberrimi illius Ecclesie doctoris Ambros-

sij sententiam , quam ad Valentinū Iuniorē , cū in exordio imperij sui , adhuc rudit & imperitus Ambro^s
discipline ecclesiasticae , ad se vocasset de fide liti- sius ad Valentinū
gantes , scripsit in hac verba : Si vel scripturaru*m* iuniorē .

seriē diuinarū , vel vetera tēpora retractemus , quis est qui abnuat , i causa fidei Episcopos solere non Imperatores iudicare ? Quando audisti , in-

quit , Imperator clementissime , in causa fidei laicos indicasse ? itā ergo quadā adulazione cur- uamur , ut sacerdotalis iuris immemores , quod Deus donauit nobis sacerdotibus , hoc alijs pu-

temus cedendum ? Et memorabilis est illa Im^s Theodo^s
peratoris Theodosij sententia , quam scripsit ad Synodus oecumenicam Ephesinam : Deputa- phēsinā .
tus est , inquit , Candidianus magnificus Comes

strennuorum domesticorum transire usque ad sanctissimam Synodus vestrā , ac in nullo qui- dem , quae facienda sunt de pijs dogmatibus que-

stiones

Oratio

stiones communicare. Illicitum namque est en
qui non sit ex ordine sanctissimorum episcopo
rum, ecclesiasticis immisceri tractatibus. Quare
celebris ille Canonum professor Franciscus Dua
renus in libro de ministerijs sacris (in quo non
illibenter arrodit ecclesiasticam iurisdictionem)
Nicolai primi Pontificis ad Michaelem Imper
atorem sententiam non satus circumspecte ad
ducit ad comprobandum, quod in causa fidei, qua
omnibus communis est, non solum ad clericos, ve
rum etiam ad laicos, & ad omnes omnino Chri
stianos, tractatus & cognitio pertineat. Consta
re enim facile potest paulo attentius legenti, Ni
colai illam ad Michaelem Imperatorem episto
lam, & scribendae epistola occasionem considera
ti, id tantum scribere Nicolaum, quod in causa
fidei, qua omnibus communis est, cognoscenda
possint praesentes esse & laici: Quemadmodum
Constantinus Magnus Niceno Synodo, & Mar
tianus Chalcedonensi, & postea Constantini
sexta Synodo interfuisse leguntur: non tamen
tanquam cognitores & iudices. In causis vero
criminacionum, aduersus sanctos episcopos, non
debere praesentes esse Imperatores vel laicos.
agit enim Nicolaus in ea epistola de criminibus
Ignatio episcopo sanctissimo Alexandrino, ab
ambitioso Photio obiectis, & arguit Michaelem,
quod

quod causam criminacionum illarum, imperator ob fauore erga Photium sibi usurparet. Cuius cause cognitione ne presentem quidem se exhibere debet, exemplo Constantini et Theodosij, qui huiusmodi criminacionis cognitionem ultra ipsis delatam, a se rejecere ad ecclesiasticos indices solebant.

Iam quod deinceps à Molinæo obiecitur, Solutio a manifestum esse ex historijs Ecclesiasticis, & Caulliae scriptus veterum doctorum, Romanum Pon-

tificem nunquam praeseditte in generalibus Ecclesie Concilijs: sed quoties interfuit, habitum fuisse tanquam vulgarem & gregarium Episcopum, aut certè tanquam recentem aliquem patriarcham: praeseditte autem semper aut seniores patriarchas, aut Imperatorum legatos: luculentissimum mendacium esse, comperiet quisquis superiorum et atum historias ecclesiasticas vel attigerit, & generalium praesertim illorum octo Conciliorum actiones, que in Christi Ecclesia indu-

bitatam autoritatem semper obtinuerunt. Nam Quis præ- federit in illo primo sacratissimo Niceno Concilio, Osiu concilio Cordubensem, Episcopum prouincie Hispanie, Vi Niceno Etore & Vincentiu, Romana Ecclesia presbyteros, & Apostolicæ sedis legatos, probato Sylvestro interfuisse, ac etiam praeseditte, & primos subscripsiisse, uniuersitate statur antiquitas. Quin non contentos fuisse sanctissimos illos patres, trecen-

pro Roma Pont.

Oratio

tos & octodecim interfuisse Concilio, dictos
sedis Apostolica Legatos, sed literas quoque
dedisse ad Sylvestrum Papam, quibus ab eo sy-
nodi acta confirmari potuerunt, ex actis Conci-
lii compertissimum est.

Quis in In Cœcilio similiter Constantinopolitano pri-
Constan- mo, beati Damasi orthodoxæ fidei vindicis vi-
tino poli. guisse autoritatem, & præsedisse in eo, ipsius
nomine Paulinum Thessalonicensem Episcopum.

Quis in Postea in Concilio Ephesino, beati Celestini vi-
Ephesin. guisse autoritatem, & pro eo Cyrillum Alex-

Quis in andrinum Episcopum præsedisse. Postremo in
Chalced. Chalcedonensi Concilio, vice sanctissimi illius
Leonis primi interfuisse, & præsedisse Pescas-
num & Lucentium Episcopos, nemo, nisi pror-
sus Ecclesiasticarum historiarum imperitus, aut
sanè omnino impudens, negare potest.

Quin & in Chalcedonensi Concilio, ex sen-
tentia ipsius Leonis, omnia acta esse, (que qui-
dem ad fidem & religionem pertinebant) ex
ipsius Conciliis actis manifestissimum est. Atque
idem factum & obseruatum fuisse in reliquis il-
lis generalibus conciliis, ex ipsorum actis equi-
est manifestum.

Quin potius illud euidenter demonstrare li-
ceret, adeo sine sedis Apostolicae aurhoritate,
nullum Concilium legitimum habitu fuisse un-
quam

quam, ut quæ sine eius auctoritate habita sint,
etiam ecumenica, adeoq; Imperatorum auctoritate
interposita, semper irrita & rescissa postea
fuerint per posteriora Concilia.

Quemadmodū cernere est in Concilio Ephesi-
no secundo. Item in concilio numerosissimo A-
rimensi, generalibus concilijs, & in Antio-
cheno illo contra beatum Chrysostomum, & Con-
stantinopolitano illo, sub Imperatore Michaeli,
pro Photio, contra Ignatium, particularibus
Concilijs. Quæ cum ita sint, sapit certè Molinæ-
us (sed ut sapiunt filii huius seculi) quod tam
putida mendacia vulgi tantum auribus ingerat,
libello populari & vernacula lingua scripto:

Nam apud eruditos, qui notissimas Ecclesiæ hi-
storias ignorare non possunt, se fidem obtainere
posse, meritò diffidit. Cofutatis vanis his
canillationibus, de conuocatione & presidentia,
& partium citatione, expēdamus reliquas, quæ
plus aliquid momenti & probabilitatis apud
imperitos habere possent.

A sententia, inquit, Leonis Pontificis, per Solutio 3.
quam Lutheri doctrina condemnata est, inter- & 4. ca-
posita est legitima appellatio ad Concilium ge- uillatio
nerale. Quare non potest censeri legittimum
Concilium, in quo Romanus Pontifex presidet,
præsertim cū Romanus Pontifex rei & accusati-

T iij personam

Oratio

personam in eo sustinere debeat , nec posse esse
legitimum eius iudicium in propria causa.

De appell-
atione
interpos-
ita.

Quām fuerit legitima appellatio , ea que sa-
cta est à sententia Romani Pontificis definiti-
ua,in his quidem quae sunt religionis , discere li-
cet ex sententia illa Gelasij Pontificis .quam an-
te annos mille ad Dardanias Episcopos scripsit
in hac verba : Cuncta per mundum nouit Eccle-
sia ,quod ea quae ligata sunt à sede beati Petri ,
nullus omnino Episcopus ius habeat resoluendi .
ut que de omni Ecclesia ius habeat iudicandi ,
nec de eius liceat indicare iudicio : si quidem ad

A sententia illam de qualibet parte mundi Canones appella-
tia definiti
ri voluerunt : ab illa autem nemo est appellare
nua Rō.
Pont. nō permisus . Nec illud quoque præter eundem , in-
hice cap*s* pellate .
quit , duximus , quod Apostolica sedes , sine villa
synodo precedente , soluendi quos synodus ini quis
damnauerat , & damnandi , nulla existente sy-
nodo , quos damnari oportuit , semper habuerit si

Bonifaci^o cultatem . Cui consentiunt antiquissimus Pro-
martyr . sex Bonifacius martyr & Damasus . Sed quoniam
Damascus . loci huius & temporis non est arduam illa que-
stionem discutere : Ad sedēm ne Apostolica ,
an ad generale Concilium spectet ultimum &
infallibile illud Ecclesie iudicium : illud videa-
mus utrum præiudicata Leonis sententia obli-
stere possit , quod minus aut ipse , aut aliquis eius

in

in sede Apostolica legitimus successor, possit praefesse Concilio, in quo causa semel à Romano Pontifice indicata, propter hereticorum odivsam contumaciam, iterum cognoscenda proponitur. Atque hic quoque superiorum temporū ecclesiasticas historias consulamus, & praxim in antiquissimis Concilijs generalibus obseruatā perscrutemur.

Igitur de Niceno illo celeberrimo & sacratissimo Concilio scribit Eusebius: Presbyterum quendam apud Alexandriam, Arrium nomine, lib. 10. histo Eccl. cap. 1. glorie, landisq; & nouitatis improbe cupidum, prava quedam de fide Christi, & que antea in questionem nunquam venerant, proferre cōpisisse. Verum in posterioribus illis septem Concilijs generalibus controverbias propositas, antea per se dis Apostolicē Pontifices discussas, atq; etiā dijudicatas fuisse: adeoq; ferè per eos ipsos Pontifices, quorum authoritatis in ipsis Concilijs viguit: ipsaq; Concilia Pontificum praiudicatam sententiā semper fuisse secuta, facile fuerit demonstrare. Nam in Constantinopolitana prima, quae Constan-
tinopolitana prima, contra spiritus sancti diuinitatem, Sabelli, Mace-
donij & Eunomij doctrinam, à Damaso, vna cū sacerdoti aliocilio, quod Roma secum habuerat, fuisse iam dudum ante concilium condemnatam,

T ij & illius

Oratio

& illius doctrinæ pertinaces defensores, fuisse etiam anathemate percussos, videre licet in epistola Damasi ad Paulinum Episcopum, Apostolica sedis in partibus Orientis Legatum.

Ephesis
num Con
cilium.

Similiter post damnatam Nestorij impiatem à beato Celestino Romano Pontifice eiusdem authoritate, instantibus Imperatoribus, Theodosio & Valentianiano, ad sedandos tumultus exortos, Ephesinum concilium conuocatum fuisse, in eoz Celestini sententiam comprobatam & confirmatam fuisse, ex Celestini literis ad Nestorium, & ad Cyrillum Alexandrinum, atque ex ipsis quoque concilij Chalcedonensis actis manifestissimum est.

Conciliū
Chalcedo
nense.

Rursus ex actis concilij Chalcedonensis evidenter constat, Eutychetis & Dioscori impiam doctrinam multò ante indictum illud concilium à beatissimo Leone fuisse condemnatam, Leonisq; sententiam à patribus eiusdem Concilij fuisse approbatam.

Quinta
Synodus
generalis.

Iam Petrum illum Antiochenum, de mysterio incarnationis Dominice, noua quedam & blasphemata dogmata rursus in ecclesiam inferentem, Seuerum quoque Antiochenum Patriarcham Petrum Apamiarum Episcopum, & Zoram Syrum monachum, & Antonium, quos quinta synodus autoritate Vigilij damnavit, multo

multò ante synodum ipsam damnatos fuisse per Apostolicæ sedis sententiam; ex literis ipsius synodi satis constat.

In sexta quoq; synodo idē factitatum esse, ex ipsis actis synodi manifestè constare potest.

Iconomichos quoq; quos septima synodus universalis damnauit, cōst. st multò antē damnatos fuisse per Apostolicæ sedis indicium. Primum per Gregorii tertium in frequetissima Episcoporum synodo: Deinde per Stephanum, eius nominis secundum. Postremo Photium illum superbissimum, quem condemnauit, & ex sede Costantinopolitana, vel in iunctu Michaeli Imperatore, ciecit concilium universale octauum, ante damnatum fuisse per sententiam Nicolai Pontificis, eius nominis primi, ex authenticis & probatis historijs similiter constat.

Satis ex his, superq; manifestum esse arbitror, quantarum Ecclesiasticarum infidilia laboret causidicus iste Molinaeus, dum ex eo synodi Tridentine indicium tanquam illegitimum calumniatur, quod in eo vignerit praesidis Apostolicæ sedis authoritas, per cuius sententiam antea damnata fuerit ea doctrina, de qua questione in Synodo iterum agitata & tractata est. Nam una hac calumnia universorum illorum Cöcliorum, que uniuersa Christi ecclesia semper venerata est, authoritate impugnare, & eadē suspecta.

T. iij. & ille.

Oratio.

Deut. 17. & illegitima facere liceret. Quemadmodū itaq;
in veteri synagoga, cathedra iudicaria per Moy-
sen instituta fuit, ad quam quæstio omnis de le-
ge, de mandato, de cæremonijs, de iustificationi-
bus referretur (cuius quidem cathedra preses
quicquid cum sacerdotibus & leuitis communi-
cato concilio decreuisset, id sineulla contradic-
tione aut prouocatione ad aliud quodlibet indi-
ciū teneretur inuiolabiliter & obseruaretur.)
Ita Christus in Ecclesia cathedram iudicariā
constituit, ad quam omnis quæstio de fide & re-
ligione, præsertim quæ in particularibus Episco-
porum conuentibus definiri non posset, referre-
tur. In qua cathedra Petrum, & eius legitimos
successores, tanquam pastores & gubernatores
vniuersitatis Christianitatis collocauit. Cuius cathe-
dra præsidet quicquid de quæstione religionis,
communicato cum suis sacerdotibus & Episcopis
consilio, & præsertim in ecumenicum totius or-
bis concilium congregatis, decreuissent id ab om-
nibus Christianis sineulla contradictione aut
appellatione inuiolabiliter teneretur.

Quare qui appellationem à sententiā præsidis,
Apostolicam & Ecclesiasticam cathedram te-
nentis, ad aliud quocunque concilium approbat,
aut à definitione causarum religionis, præsidem
cathedra secludit, perinde facit, atque si contra
Dominum

Domini per Moysen constitutionem , à definitio-
tione causarum & questionum de lege & iustifi-
cationibus per præsidem cathedræ Moysi facta,
appellationem ad aliud iudicium interponeret,
in quo à cognitione & definitione causa præside
cathedræ prorsus exclusum vellet.

Quod deinde proponit Molinaeus, nō posse cē-
seri legitimū iudicium, in quo iudicem is agit, An Rom.
cuius propria causa diiudicanda proponitur, simi- Pont. pro
liter futilis est & vana cauillatio. Perspicuum pria causa
enim est, controversiam doctrinæ, in Tridentino tractata
concilio propositam, non ad Romanum Pontifi- sit quæ in
cempriuatim, siue ad cathedram Apostolicam,
est.

sed ad catholicos uniuersos per totum Christia-
nismū spectare. Cōstat enim, vnum hoc ad dis-
cutiendum propositum fuisse, (quod quidem ad
doctrinam attinet) utrū antiqua doctrina, que
ante natum Lutherum, per totum orbem Chri-
stianum, cum pace & unitatis concordia in
omnibus Ecclesiis tenebatur, & predicabatur,
& quam sedes Apostolica, & Romana Ec-
clesia constanter profitebatur, & tenendam alij
tradebat, vera sit doctrina, à Christo & A-
postolis tradita & accepta: an verò nouitia illa,
quam natus Lutherus illi contrariam in Ec-
clesiam intulit. Et post multam discussionem
& conquisitionem definitum esse, antiquam il-

lam

Oratio

antiquam illam de religione doctrinam, quam
ante natam nouitiam doctrinam profitebatur
uniuersa catholica Ecclesia, Romane sedis magi-
sterium & authoritatem secuta, solam consenit
re cum Apostolicæ et veteris Ecclesiæ doctrina.

An Pont. AEquè fui ilis est & illa causatio, Pontif-
Rom. rei cem Romanum in hac causa accusati & rei per-
personam sustinere. Iam enim demonstratum est,
Iustineat. quod quidem pertinet ad doctrinam, eam do-
ctrinam, quæ in œcumeno iudicio discussa est,
non ad privatam Pontificis personam, aut sedis
Apostolicæ cathedrali pertinere, sed ei cum
uniuersa catholica Ecclesia communem semper
fuisse, & etiamnum esse. Quare criminatio hac
non Pontificem solum reum facere, sed uniuer-
sam catholicam Ecclesiam impia doctrine insi-
mulare conuincitur.

De cul- Atque h.ec quidem aduersus canillationem
pis præsi- de doctrinæ corruptela & impietate, per Roma-
duum Ec- nam cathedrali in Ecclesiam inducta. Quid an-
clesia cor- rigendis. tem de culpis (quas cathedrali Apostolica
præsides, homines mortalitatis pondere & ju-
go grauati, per humanam fragilitatem admit-
tunt) sine conuincendis, sine redarguendis, sine
denig. diiudicandis & puniendis, religiosa pa-
trum antiquitas censuerit & obseruauerit,
ex synodis quibusdā Ecclesiasticis cognoscere
cet.

cet. In primis, ex illa omnium antiquissima,
in Sinuessa Campanie urbe congregata, ubi ^{Synodus} in Sinues
Marcellini Romani Pontificis & Martyris la cōgrēs
causa tractata est. Item & ex eo Concilio, gata.
quod instantे Sixto, & procurante Valenti-
niano, Rome frequens coactum est, in quo Si-
xti, eius nominis tertij, Romani Pontificis cau-
sa tractata est.

Item & ex eo Concilio, quod primū Theodo-
rici regis mandato, & postea Symmachī appro-
batione conuocatum est: in quo criminatio-
nes Symmacho obiectae discussae sunt. Postremò
ex Concilio illo, in quo crimina obiecta Leoni
tertio, instantē Carolo magno Imperatore, co-
goscenda & iudicanda proposita sunt.

In quibus synodis constanter venerandi Epi-
scopi & sacerdotes professi leguntur prime sedis
Episcopum, inferiorum nō posse subiacere iudicio.

Ia nunc restat ut postremam obiectione exten-
pendamus: Prætensem, inquit Molinæus, Con-
cilium Tridenti primum inchoatum, & deinde ^{7. Obies} Bononiæ translatum, per mortem Pauli tertij extin-
ctum et finitum est: alioqui nisi cū Paulo tertio mor-
tuum esset, et ex toto extinctum, electio Pape,
Pauli successoris, nō ad Cardinales, sed ad cōciliū
ipsum pertinuisse. Igitur quicquid post Pauli
mortem

Oratio

mortem, siue Iulius, siue Pius, extincto Concilio,
superstruxit, irritum est & caducum.

Solent causarum Patroni, argumentum in
quo firmissimam causæ defensionem positam ex-
istimant, in ultimum locum reiijcere: verum haec
Molinei postrema argumentatio adeo infirma &
inepta mihi quidē videtur, ut non persuaderet,
at tam celebri causidico & iuris perito proficiisci
eam potuisse nisi pertinaci quodam & caco con-
tra veram Christi Ecclesiam & Romanam sedi
odio laboraret. Quis enim Iureconsultus adeo
iuris imperitus reperiatur, ut non intelligat,
quam authoritatem indicendi & conuocandi
generalis Concilij Paulus tertius habuit, eandem
& eius legitimos successores habuisse, per quam
licuerit eis ad peragendum & absoluendū quod
a Paulo tertio inchoatum erat, & propter incidentes
in speratos tumultus interruptum patres
dimisso reuocare, præsertim Imperatorum &
Regum voluntate constanter per durante, solu-
tum quidem esse per Pauli mortem Concilium
illud Bononiae congregatum, & patres uniuersos
Bononia discessisse, fortasse verum est. Sed eos dā
non esse legitimè renocatos ad inchoatam &
interruptam actionem resumēdam, continuam
dam & absoluendam, sine per literas resumptio-
nis aut renovationis Concilij, siue per literas
nouas

nouæ inductionis, auctoritate Romanorum Pon-
tificum Pauli successorum, quis, quæso, audeat ne-
gare? Paulus quidem tertius has calumnias
cauillationes veluti prævidens, disertis verbis in
formula prima inductionis usus legitur: Sacrū, formula
inquiens, œcumenicum & generale Conciliū in primæ in-
ciuitate Tridentina, loco cōmodo & libero, omni-
bus g̃ nationibus opportuno incipiendum, prose-
quendum, & domino adiuuante, ad ipsius glori-
am aque laudem, & Christiani totius populi sa-
lutem absoluendum, perficiendumq; indicimus
& annunciamus. Quam inductionis formulam
manifestum est, non ad inchoationem tantum,
sed ad omnem prosecutionem, ad felicem usque
finem Concilij spectare: ut nulla alia inductione
opus esset, etiam si per interuenientia impedi-
menta, actionem Concilij interrumpi conting-
ret: præsertim cum indicatio facta sit non solum
Pauli persona voluntate, mandato & iussu
(qualia mandata per mortem mandantis expi-
rare solent) sed sedis Apostolicæ authoritate, &
venerabilium sanctæ Romanae Ecclesiae Cardi-
nalium consilio & consensu.

Sapienter fecit mea quidem sententia Molinæus, sed ut sapiunt filij huius seculi, quod popu-
lari lingua conscriptas bas futilis & vanissimas
cauillationes curioso populi vulgo obtruserit:

Nam

Oratio

Nam quod tam ineptis præstigij viros doctos,
qui notissimas ecclesiasticarum rerum historias
ignorare non possunt, decipere & fallere posset,
non admodum sperare potuit. Sed vulgus quoq;
Christiani populi, nisi prorsus suam æternam sa-
lutem prostituere velit, facile intelligere
potest, totius orbis sententiam, arro-
gantis scriptoris cauillationis
bus iure antepo-
nendam.

FINIS.

